



36a

E libris
gymnasio Mauritano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii direttore
a. 1857 hereditate relictis.

G. f. 171.

114
Es. 18, 6
AVSPICIO SVMMI NVMINIS
SERENISSIMOQVE PATRIAE PATRIS
AC DOMINI
DOMINI
FRIDERICI ANTONII
PRINCIPIS SCHWARZBVRGI
QVATVOR COMITVM S. IMPERII ROM.
COMITIS HOHENSTEINII, REL.
PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI LONGE
CLEMENTISSIMI

AVSPICIVM ANNI MDCCXXXII
ET NATALES EXOPTATISSIMOS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
IOANNIS FRIDERICI
SCHWARZBVRGICARVM DITIONVM
HEREDIS

PRINCIPIS AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI
VOTIS ET OMNIBVS FAVSTIS PROSEQVENTVR
IUVENES ORATORES QVATVOR
AD QVOS AVDIENDOS
PERILLVSTR. EXCELLENTISS. PRAENOBILISS. CONSVL-
TISS. MAGNIF. SVMME REVEREND. AMPLISSIMOS DOCTISSIMOS-
QVE INSPICITORES, ALIOSQVE PROCERES, DOMINOS GRATIOSOS
PATRONOS, FAVTORES ET AMICOS

QVA PAR EST OBSERVANTIA ET FIDE
INVITAT
IOANNES GOTTHELF ROSA, RECT.

RVDOLSTADII,
FORMIS LOEWIANIS.

1732, 6 Jan.



Nter splendida et sanctissima Messiae dignaque illius Numine nomina, eminet in primis, et, quamquam ordine verborum postremum, sensu tamen vatis ascendente supremum tenet locum illud *שר שלום* *Princeps pacis* (a) quod dicitur. In quo explicando interpretes ita fere omnes versantur, vt etiam ad illud pacis genus, quod *politicum* vulgo, *huius orbis et aeni*, quo externa generis humani salus et tranquillitas continetur, vocare solent, hoc est, quando felicitas mortalium et securitas, siue in vniuerso, siue quibusdam in partibus illius, nullis bellorum turbis, armorumque strepitu turbatur, pertinere arbitrentur. Quam opinionem adiuvare non parum videtur, quod, imperante Augusto, Iani (b) templum, belli tempore patulum, interiecto ingenti temporis intervallo reclusum, pacis, omni terrarum orbi restituae, iudicium fecisse, cuius laeticiam (c) raritas auxit, proditum nouimus. Equidem, vti plura nascituri nostri redemptoris, eaque luculenta satis etiam gentibus, idolorum cultui adhaerentibus, potissimum Romanis, indicia et velut vaticinia contigerunt, passimque de partu quodam virginis, quam pax esset secutura, praedictum est, splendore quodam aut radiis quibusdam diuinæ sapientiae, quae in vatum nostrorum scriptis delitescit, etiam ad exeros et remotos a diuinæ religionis verique Numinis cultu populos dispersis: ita, quod de Iani templo accidisse notum certumque est, nec spernendum omnino, et pro iudicio haut obscure habendum antiquis non immerito videri potuit. Quid enim illud, quod, de *pacis* templo, Romam ornante, consultus Apollo, quamdiu staturum esset, respondisse dicitur, *donec virgo pareret?* Ubi autem ratio et natura omni tempore virginis partum negavit, fama tum percrebuit, templum illud fore aeternum, affixoque foribus illius titulo inscriptum est *pacis templum aeternum*: quod autem ea ipsa nocte, qua virgo Maria Christum mirabili partu edidit, corruisse fertur, si fides *Orosio* et *Pomerio* habenda est. Quid illud ominis habuit, quod in Chronico Martiniano proditum nouimus, artificem Romae quandam, quem Virgilium Maronem fuisse quidam crediderunt, exstruxisse palatium, in cuius pinnulis singularum regionum circumiacentium effigies ligno inculptae ita erectae sunt, vt, si vna quaedam Romanis obniteretur, ei additum tintinnabulum sonaret; Cataphrasin autem, in verrice palatii equo insidens, hastam in eam regionem vibraret? quod opus quamdiu duraturum esset, rogatus artifex, dixisse fertur, dum virgo paritura esset, atque ita euenisse, & ea ipsa nocte, quo Christus natus est, concidisse? Quid de statua Romuli dicam, quam ipse posuisse, et staturam donec virgo pareret, praedixisse credimus est, tempore natalium Christi collapsa? quod praeter idem Chronicon et Pomerius refert. Vt taceam, quae cecinit *Virgilius*, quem propter eclogam illam, quoecunque veritas, et quoecunque modo exutias, si quid iudico, vaticinio, quam poemati similiorem, D. *Hieronymus* et *Augustinus* sine Christo Christianum appellare non dubitarunt. Nec attingam excusum ab Augusto, pacato omni orbe, numisma argenteum, inscriptis verbis, PAX ORBIS TERRARVM, & versa facie, IMP. PERPET. S. C. aliaque tam multa, quam memorabilia, quorum tamen omnium fides non satis est certa, nec omnium eadem. Templum tamen Iani, eo tempore occlusum, si dicendum, quod res est, minus nobis ad natum sanctissimum redemptorem pertinere videtur, quam vulgo alii existimant, qui id adeo ad eum referent, vt ita non fieri non potuisse existiment, et, vbi de *pax*, per Christum nobis conciliata sermonem faciunt, ita de occluso Iano differant, vt nisi effectum id Christi natalibus, eorundem certe significationem quandam fuisse arbitrentur. Cum quibus quominus consentiam, et variae, nec eae leues causae me inducunt. Neque enim id tam proprium est illius aetatis, in quam Domini nostri natalis incidit, vt in aliud tempus non aequae, imo multo magis conueniat. Primum enim a Numa templum Iani occlusum annos fere quadraginta tres non paruit, pacemque satis diurnam fausto

(a) *Et VIII. 6.* Vbi obseruandum, de quo pacis genere vates intelligi velint, indicari verbis fatum subsequentibus, vbi ait, vt eminet et insolitum omnique humano principatu maius et potentius sit eius inspecioni, pax autem *infinita h. e. aeterna*. Ita enim *regio quatuor*; explicandum esse, non dubitatum, qui indolem ebraeae linguae vel parum norunt, eandemque aeternitatis descriptionem fatim conspicunt *Psal. LXXII. 7* et alibi passim. (b) de Iani templo, ipsoque Iano vid. *Voss. de idol. gen. pass. Res. antiquit. Rom. lib. II. cap. III.* ibique Dempsterum. *Liuius I. 19. Sueton. August. cap. XXII. coll. Marth. Berneggeri* annotat. Alexand. ab Alexandro *Gen. Dier. lib. I. cap. XIII.* (c) quanta enim solemnitate, quantoque populi confluxu templum Iani recludi solitum sit, vid. *Res. c. I.*

fausto omne praestitit, et populum Romanum a belli tumultu ad Deorum cultum
 curamque reuocauit. Inde T. Manlio Torquato et M. Atilio Coss. clausum et reclu-
 sum eodem anno ab V. C. 519 fuit. Tertium clausit Imp. Augustus V. C. anno 725,
 se et Sexto Apuleio Coss. post bellum Actiacum, Antonio et Cleopatra victis, pace
 terra marique parata, iunctis societate et foedere gentibus et nationibus, adhuc obstinatis
 et repugnantibus. Idem Augustus, siue semel, siue, quod alii (d) malunt, ter eandem pacis
 aedem non patentem vidit, perinde est, certe diu occlusa non fuit, sed breui admodum
 tempore: quod ad nostrum *pacis principem* referre nolim, qui ita ne cum Numa quidem
 possit commodè restituendae pacis potestate comparari. Accedit, quod, subactis Germa-
 nis, Gallis, Hispanis aliisque gentibus, idem Iani templum denuo occlusisse Augustum
 omnes consentiunt, iam nato Christo, cui itaque nec ipso pacis tempore nasci contigit,
 nec, dum viueret, perpetua publica pace et quiete frui. Quid? quod illa Herodiana in-
 fantum laniena, et fuga redemptoris in Aegyptum nihil sane pacis habet, sed ad belli in-
 dolem propius accedit, vbi Christi causa, quem *pacis principem* ipsi diuini oraculis
 salutare iubemur, in tam miseris et infantes, quam teneros foetus masculos adeo atro-
 citer saeuitum est, vt Augustus, siuis sub Herode melius esse quam subiectis, scire dixe-
 rit. Tanta quidem pacis semper praestantia & felicitas ab humana ratione habita
 est, & merito quidem, vt non tantum ab Atheniensibus (e) pariter et Romanis aliis-
 que gentibus, aris et templis exstructis, Numinis instar coleretur, sed, vbi diuini codi-
 cis auctoritatem sequimur, pax, tanquam omnis felicitatis et prosperitatis summa, salu-
 tationibus adhibita est, et voris, quae non tam copiam quam pondera verborum requir-
 unt, et eorum quidem, in quibus varii diffusique sensus constringuntur. Illa saluandæ
 formula, Ebraeis solenni, ipsum Dominum nostrum vti solitum, quis nescit? quana
 tanti Iudaea gens fecit et Rabbiorum seueritas, vt, ne geminaretur (f), si compellan-
 dus aliquis gentilis esset, praeceperint. Neque fas est dubitare, quin DEVS ille homo
 toti orbi pacatissima tempora afferre potuerit, et conseruare, quamdiu visum esset, aut
 quamdiu in viuis fuit: sed ita non fuisse, tum, quae iam dicta sunt, tum res ipsa et hi-
 storiarum illius aevi monumenta abunde testantur. Quid igitur? Nonne IESVS san-
 ctissimum ab Etsaia diuinitus signatum nomen *principis pacis* tuebitur? Omnino,
 sed pax illa, qua quies et salus societatis generisque humani ad vitam ciuilem atque
 communem intelligitur, non est ea, a qua id nominis illi inditum est. Sed quid, inquis,
 cecinere suspiriosissimo concentu angeli, ea ipsa, in quam parvus ille omni generi humano
 faustissimus incidit, nocte? nonne praeter gloriam Dei excelsi ampliandam, *pacem in*
terris decantantur atque annunciantur? Ita quidem: sed nec inde licet colligere, *pacem*
 coelestes illos praecoens mortalibus promississe eam, quae quidem est *optima re-
 rum, quas homini nouisse datum est, vt Silius canit, si felicitatem huius vitae confideres,*
sed non optima, si veracem aeternaeque salutis rationem habeas, quae quidem causa fuit,
*vt ille nobis infans nasceretur, et filius redderetur, qui, praeter alia plane diuina nomi-
 na, etiam id habet, vt princeps pacis nuncupetur.* Neque enim pax illa qualis sit, sed
 vbi regnatura sit, et ad quos spectet, quibusque impertiatur, coelestis spiritus sua illa
 cantatione indicantur, pacem inter Deum et homines *in terris* proclamantes, non terre-
 nam, aut huius aevi. Id quod scriptores sacri vel ipsi produnt, vt (g) Lucas, Hie-
 rosolymitanæ plebis turba quibus vocibus Christum aduentantem exceperit, narrans,
 angelico hymno explicationem velut obiter affert, populumque clamasse refert, *Εὐλα-
 γημένως ὁ ἑρχόμενος βασιλεὺς ἐν ὀνόματι Κυρίου ἔρχεται ἐν ἐξουσίᾳ, καὶ δοξὰ ἐν ἰσχύει.* Vbi di-
 scerte, quam pacem *in terris* cecinisse angelos ipse supra scripserat, *pacem in coelis* ap-
 pellat. Ipse praeterea Christus, Dominus noster, vbi testatus est, regnum suum (h)
οὐκ ἐστὶν ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ, non esse huius mundi, quid simul dixit et asseueravit, nisi su-
 um non esse, pacem ciuilem atque eam praestare suis, in qua arma silent, nec nos vlla
 premimur aut sollicitamur hostium bellorumque calamitate. Meminisse etiam iu-
 uerit illius, quod Christus (i) ipse discipulis suis declarauit, se non venisse, vt in orbem
 pacem inferret, sed gladium et discidia. Quapropter idem sanctissimus redemptor nos-
 ter, cum in eo esset, vt ad restinguendam patris sui iram, expiandumque primorum
 hominum scelus propius accederet, atrocissimae mortis cruciatus subiturus, inter vl-
 tima verba haec extare voluit ad confirmandos, qui nuncio tam tristi prorsus frange-
 bantur, discipulorum animos, *pacem (k) vobis relinquo, pace vos imperator, non eo*
quidem,

(d) vid. Alex. ab Alex. et Bernegg. c. l. (e) vid. Voss. de idol. gent. lib. VIII, cap. XIII. (f) ita tra-
 dit Maimonides, de idolol. pag. m. 141. (g) cap. XVIII, 38. coll. II, 14. (h) Io. XVIII, 36.
 (i) Matth. X, 34. coll. Luc. XII, 51. (k) Io. XIII, 27.

quidem, quo mundus solet, ritu. Quae quid sibi velit, quis non intelligat? ut vltiori explicatione plane non sit opus. Ex quibus sane conficitur, quando Messias, hoc est, Christus, ab Esaiâ vocatur ישוע *pacem* intelligi eam, cuius *rex* (l) etiam idem Dominus noster dicitur, qui ipse nostra *pax* Paulo (m) appellatur, cuius regnum est (n) iustitia, *pax* et laetitia in Spiritu sancto, a qua *pax* Deus a Paulo Deus (o) *pacis* vocatur: quanquam haec appellatio ad reliqua pacis genera non minus extendi saepe queat. Illius *pacis princeps* Christus est, quae omnem rationis humanae (p) captum superat, quamque piis apostolos passim in litteris, ad sanctos coetus missis, adprecat. Illa *pax* hic in censum venit, cuius nobis recuperandae causa poenas (q) ille infers sustulit: cuius qui spiritum mentemque nacti sunt, vitam & pacem habere Paulo (r) dicuntur: Quid multa? *pax* illa interna & aeterna, quae in eos cadit, qui Christi, vni-
us potentissimi ducis et victoris nostri, dogmata, merita et vestigia vera fide ample-
ctuntur et sectantur, quique, cum Deo per Christum reconciliati non tantum perpetua
in se tranquillitate fruuntur, sed aliis etiam, pacificos ut se praebeant, quam maxi-
me possunt, conantur, hoc suae pacis pretio felices, ut praegustu quodam, etiam dum
inter mortales versantur, praesentiant, quod nec effari lingua, nec capere mentis hu-
mana angustia potest.

Hanc qualemcunque commentationem suggestit nobis reddita tandem dulcissimae patriae post abstrusae et vesanae plebis clandestina et affectata dissidia tranquillitas, quae, sanato denum illo intestino morbo, laetatur Serenissimus atque clementissimus Pater patriae; gaudent prohi, quibus salus communis curae est, ad vnum omnes, atque serio congratulantes, votis, tam feliciter acquisitae, quam ardentem exoptatae paci, ut omni-
bus numeris sit perfecta, addunt perpetuitatem. Quod sub auspiciis noui anni agere atque moliri cuius magis est, quam nostrum? quibus, Musarum cultoribus, vira-
lis pax est, absque qua si fuerit, non potest non laborare, premi, opprimi & extingui, quicquid est religionis, virtutis et bonarum litterarum? Vos, rei nostrae schola-
ticae sapientissimi moderatores, laborumque nostrorum arbitri aequissimi, Patroni et fautores probatissimi, Perillustres et Excellentissime, Praenobiliss. Consultiss. Magnif. summeque Reuer. Amplissimi Doctissimisque Viri, et quibus amplius in publica salute salus et incolumitas seminarii Reip. et Christianae religionis non est contemptui, quique conatus nostros non adspernamini, accedite, quaeso, et d. XIII Ianuar. horis conuersis infra (†) indicatos iuuenes, in palaestra oratoria comparituros, atque ita ad vos, nostra sidera, verba facturos, ut, si non superare ingenio aetatem et dicendi facilitate, assequi tamen, quod praestamus, sitis iudicaturi, serena, quod soletis, fronte audite, et, non parum ista vestra gratia et voluntate sudoris et pulueris nobis abster-
suri, publica nostra vota vestro assensu applausuque adiuuate. Tales Vobis nos semper sumus praebituri, quales et iure vestro exigitis, et nos esse debere plane intelligimus. Dab. Rudolphopoli d. VI Ian. cio 10 cc xxxii.

(l) Ebr. VII, 2. (m) Ephes II, 14 seq. (n) Rom. XIII, 7. (o) Rom. XV, 33. XVI, 20. 1 Cor. XIII, 33. 2 Cor. XIII, 11. 1. Thess. V, 23. (p) Phil. III, 7. Coloss. III, 15. et pass. (q) ECLIII, 5 coll. Rom. V, 1. (r) Rom. VIII, 6.

(†) CHRISTIANVS AVGVSTVS de BEVLWIZ, Eq. Schwarzburg. qui patriae, imo vltius antiquissimae et splendidissimae domesticae virtutis vestigia legit, et exempla aliquando expressurus et exacte redditurus iam videtur, prolo-
gi personam aget, reliquorum orationes indicaturus, et de pace in genere non-
nulla germanico carmine praefaturus, vota quoque pro Serenissimo patriae Patre,
quo Optimus quisque melior non est, nuncupaturus.

IOANNES GOTTFRID MICHAEL NOEBLINGVS, Leutenberg. Schwarzbur-
gicus, iuuenis eximiae indolis, et patriae aequae ac parenti, venerando seni, opti-
ma quaeque pollicentis, de pace *externa* seu *civili* latine dicet, non neglecta vo-
torum pro Sereniss. domo Schwarzburgica pietate.

CAROLVS FRIDERICVS CHRISTIANVS BECKERVS, Graiz. Varisc. qui tali est ingenio, indole et animo, qualem requirit ea res, quam exponet oratione ger-
manica, dicet de pace *interna*, seu de tranquillitate animi.

IOANNES TOBIAS ALBERTI, Misa. excitatae mentis & sollicitae educationis cura politae iuuenis, spem superaturus optimorum parentum, de pace *aeterna* carmine latino elegiaco disseret.

78 M 428


Sign. (188) fehlt bzw.
coll. nicht vergeben!



Sb.

1077

R.40



Es. 1X, 6

AVSPICIO SVMMI NVMINIS
 SERENISSIMIQVE PATRIAE PATRIS
 AC DOMINI
 DOMINI
FRIDERICI ANTONII
 PRINCIPIS SCHWARZBVRGI

COMITVM S. IMPERII ROM.
 MITIS HOHENSTEINII, REL.
 IS AC DOMINI NOSTRI LONGE
 CLEMENTISSIMI

AVSPICIVM ANNI MDCCXXXII
 AATALES EXOPTATISSIMOS
 MI PRINCIPIS AC DOMINI
 DOMINI

NIS FRIDERICI
 ZBVRGICARVM DITIONVM
 HEREDIS

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI
 OMINIBVS FAVSTIS PROSEQUENTVR
 VENES ORATORES QVATVOR
 AD QVOS AVDIENDOS

EXCELLENTISS. PRAENOBILISS. CONSVL-
 MME REVEREND. AMPLISSIMOS DOCTISSIMOS-
 ATRONOS, FAVTORES ET AMICOS

PAR EST OBSERVANTIA ET FIDE
 INVITAT
 NES GOTTHELF ROSA, RECT.

RVDOLSTADII,
 FORMIS LOEWIANIS.

1732, 6 Jan.

